

108

THEOLOGUMENA ARISTOTELIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVII. M. IUNII A. MDCCCLII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

O. H. WEICHEL

LUSATUS.

ADVERSARIJ ERUNT:

E. NEUMANN, MED. CAND.

H. FISCHER, MED. STUD.

A. KOSSAETH, JUR. STUD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

THEOLOGUMEN A ARISTOTELIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

A MPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIEDERICA-GUIDELINA

AD

STUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVII. M. JUNII A. MDCCCXII.

H. L. O. C.

FURCH DRESDEN

ADCTOR

O. H. WEICHEL

LIBRARIUS.

ADVERSARIUM ERUNT.

E. NEUMANN, IMPR. GAZD.

H. FISCHER, IMPR. STED.

A. ROSSBETH, IMPR. STED.

BEROLINI

TYPI GUSTAVI SCHADE.

SCHMECKEBIERIO

RECTORI SCHOLAE DEMMINENSIS

IPSIUS MODERAMINE

FLORENTISSIMAE

HASCE PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

SCHMECKEBIERIO

RECTORI SCHOLAE DENMARKENSIS

IPSUS MODERAMINE

FLORENTISSIMAE

HASOE PRIMITIUS

OFFERT

AUCTOR

Hoc demum saeculo factum est, ut iniqua iudicia de philosophia Aristotelis, qui olim Scholasticis facem praetulerat, postmodum in contemptum venerat, minuerentur et huic philosopho non usum vel experientiam solam secuto, id quod etiam Schleiermacherus ei vitio verterat, sed ad philosophicam contemplationem nato suus inter philosophiae antiquae antistites locus concederetur, unde qui hodieque eum deturbare conetur, praeter Branissium vix ullum virum doctum reperies. Huic enim viro a philosophia Platonis summa arte dialectica et poetica elaborata recenti, opinor, accidit, ut philosophia Aristotelis ei jejuna et sterilis videretur. Utique pro artificiosis dialogis, quibus per mundum idearum et per mirificas conversiones et amoena diverticula cogitationum ducimur, apud Aristotelem reperimus ἀπορίαις et sobrias incommatasque quaestiones, quae diversis sententiis undique consideratis et dijudicatis denique ad veram philosophi sententiam nos perducunt. Quid quod libri Aristotelii tam adversam fortunam experti sunt, ut etiam nunc partim tristem adspectum praebeant? Nihilominus iudicium Branissii in libro, cui inscriptum

est: Geschichte der Philosophie seit Kant I. p. 180 sqq. et p. 208 sq., philosophiam Aristoteliam nihil aliud nisi Platonis sapientiam recoctam eamque vulgaribus tantum philosophis accommodatam esse, iniquissimum est et pro-
dit hominem, qui fama et auditione de Aristotelis philo-
sophia acceperit vel primoribus tantum labris ejus cog-
nitionem ex ipsius philosophi libris hauserit. Contra lau-
danda est opera eorum virorum doctorum, qui studium
librorum Aristoteliorum et admonitione et sua ipsorum
cura redintegrarunt. Horum exemplo adductus et ipse
aliquamdiu in litteris Aristoteliis versabar neque unquam
eas postmodum prorsus missas feci. Quorum studiorum
nunc fructum proponere audeo Theologumena Aristotelia.
Quaestio erit tripartita. Primum de fontibus hujus doctri-
nae exponam, deinde notionem divinam ex ipsis principiis
Aristoteliis enucleabo ampliusque pertractato, denique to-
tam ejus de deo doctrinam examini cuidam subjiciam.

I.

De fontibus theologiae Aristoteliae.

Aristoteles eam philosophiae partem, quae de vera et
intima natura rerum est sive *περὶ τοῦ ὄντος ἢ ὄντος*,
id quod Scholastici expresserunt „de ente qua ente“
variis nominibus appellat. Interdum nominat eam philo-
sophiam theologicam, quod hujus quaestionis summa notio
est numinis divini, alias nominat philosophiam primam,
cui physica opponitur (cf. Met. VI, I p. 123). Primarius
igitur fons nobis erit liber, in quo prima philosophia ex-
ponitur. Andronicus Rhodius, qui primus dispersos libros

philosophi nostri in ordinem quendam redegit, primam philosophiam ita posuit, ut Auscultationes physicas exciperet. Ita factum est, ut et hic liber nomen fortuitum Metaphysicorum acciperet et quilibet philosophus postmodum hanc partem philosophiae Metaphysicam appellaret. Primarius igitur fons theologiae Aristoteliae nobis erit liber Metaphysicorum, qui tamen ut ad hanc doctrinam illustrandam gravissimus, ita ad intelligendum difficillimus est. Nonne Avicenna operum Aristoteliorum clarissimus interpres, qui saeculo XII. vixit, Metaphysica se semel et quadragies legisse sed non intellexisse ingenuè confitetur? Et sane res habet suas difficultates tam propter rationem abstrusae materiae, quae hoc libro tractatur, quam propter condicionem librorum Metaphysicorum, qui critici et interpretis operam desiderant. Nota est Plutarchi Strabonis aliorum narratio de fortuna librorum Aristoteliorum: Pervenisse eos una cum Theophrasteis hereditate in possessionem Nelei, cujus posteris, ne sibi ab Attalis librorum admodum avidis eriperentur, in oppido Skepsi in cella subterranea occultassent. Postmodum eos situ corruptos ab Apellicone Tejo magno pretio emtos ejusque opera restitutos et suppletos esse. Quum Sulla (anno octogesimo sexto ante aeram nostram) Athenas cepisset, totam bibliothecam Apelliconis una cum libris Aristotelis et Theophrasti Romam asportatam esse. Ibi Tyrannioni viro satis docto, Ciceronis amico ejusque filii Quinti praecptori contigisse, ut ei libros Aristotelis inspicere et aliquam operam in libris restituendis collocare liceret. Eundem Tyrannionem effecisse, ut Andronicus Rhodius copiam librorum Aristotelios inspiciendi adipisceretur, cujus

opera libros Aristotelios in eum, quo nunc leguntur, ordinem redactos esse supra jam dictum est. Jam forte quispiam credat, nobis notitiam librorum Aristoteliorum ex sola hac editione Andronici venisse. Sed haec opinio minuenda est. Stahrius enim in libro suo, cui inscriptum est: *Aristotelia II.* p. 64 sq. exemplaria Aristotelia eodem tempore, quo libri manu Aristotelis scripti Skepsi in cella subterranea latere dicerentur, Alexandriae in bibliotheca servata esse haud dubie demonstravit. Quae utut sunt, Aristotelis scripta, quae aetatem tulerunt, imprimis *Metaphysica* usque criticos exercuerunt atque etiamnunc vestigia corruptionis et lacunas produunt. Primis jam temporibus Aristotelis discipulos et postmodum alios manus intulisse ejus operibus, vel inde colligi potest, quod in libris *Metaphysicis* loci leguntur, qui iisdem verbis etiam in aliis libris Aristotelis leguntur. Exempla talium iterationum sunt: *Met. O*, 4 p. 1047 b 12 cf. *De coelo I*, 12 p. 281 b 8 — *Met. K*, 12 p. 1068 b 26 cf. *Ausc. phys. V*, 3 p. 226 b 21 — *Met. K*, 11, 12 cf. *Phys. V*, 1, 2 — *Met. K*, 9 p. 1065 b 9 — c. 10 cf. *A. ph. III*, 1 p. 201 a 3 — c. 3 — *Met. K*, 10 p. 1066 b 2 — 21 cf. *A. ph. III*, 5 p. 204 a 12 — 32 — *Met. K*, 10 p. 1066 a 35 cf. *A. ph. III*, 4 p. 204 a 2 — *Met. K*, 10 p. 1067 a 33 cf. *A. phys. III*, 7 p. 207 b 21. Talis locorum concordantium comparatio tam ad historiam librorum Aristoteliorum investigandam quam ad artem criticam factitandam fructuosa est. Exempli gratia affero verba, quae leguntur *A. phys. III*, 7 p. 207 b 21: „το δ' ἄπειρον οὐ ταύτον ἐν μεγέθει καὶ κινήσει καὶ χρόνῳ — ἀλλὰ τὸ ὕστερον λέγεται κατὰ τὸ πρότερον οἶον κινήσεις μὲν ὅτι τὸ μέγεθος

ἐφ' οὗ κινεῖται — ὁ δὲ χρόνος δια τὴν κίνησιν“. Quum verba, quae notavi, significare debeant, motionem definiri magnitudine spatii emensi, scribendum est „κίνησις μὲν κατὰ το μέγεθος“ id quod revera habet locus, quo eadem verba redeunt Met. *K*, 10 p. 1067 a 33 (p. 234, 26 ed. Br.) Alius locus Met. *Γ* p. 64, 30: „ἔστι δὲ ἡ διαλεκτικὴ πειραστικὴ, περὶ ᾧ ἡ φιλοσοφία γνωριστικὴ· ἡ δὲ σοφιστικὴ φαινόμενη, οὐσα δ' οὐ“ ex consimili loco De soph. elench. I p. 161 a 21 sic refingendus est: „ἡ δὲ σοφιστικὴ φαινόμενη σοφία, οὐσα δ' οὐ“. Quodsi respicis nexum singulorum librorum Metaphysicorum, multa sunt, quae attentum lectorem offendant. Omnino libri illi speciem praebeant operis ex singulis quaestionibus forte consuti. Ecce summarium Metaphysicorum:

In libro *A* Aristoteles postquam varios gradus cognitionis usque ad philosophiam persecutus est et philosophiae dignitatem monstravit, antiquiorum philosophorum doctrinam examini subjicit, quod etiam nobis philosophiae historiae via ac ratione descriptae exempli instar esse potest. Libro *A* appendicem subjungit librum *α* de difficultate philosophiae. In libro *B* ut ad veram sapientiam perveniatur, ἀπορίαι proponuntur. In libro *Γ* pervenitur ad firmissimam arcem omnis sapientiae sive sententiam contradictionis, quae Aristoleli „βεβαιοτάτη τῶν ἀρχῶν ἀπασῶν“ est: „οὐκ ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ καὶ εἶναι καὶ τὸν αὐτὸν χρόνον εἶναι καὶ μὴ εἶναι.“ Quae in libro *A* leguntur definitiones quasi lexicæ philosophicæ incunabula cuilibet loco librorum Aristoteliorum adaptari poterant. In libro *E* proponitur distributio philosophiae in practicam, poeticam, theoreticam, cujus ipsius partes sunt mathematica, physica, theologica sive prima philosophia. In libris *Z*, *H*, *Θ* de no-

tione substantiae (οὐσίας) potentiae (δυνάμειος) actus (ἐνεργείας) exponitur et in libro *I* ad notionem unius et multi transitur. Quibus absolutis in libris *K* et *A* redit ad principia, in quibus tanquam in propria provincia potissimum philosophia versari debeat atque ita ad summum principium i. e. deum pervenit. In libris sequentibus *M* et *N* Platonis de ideis doctrinam, quae transiens etiam in antecedentibus libris refutare solet, examinandam et refellendam sibi sumit una cum doctrina de numeris idealibus („περὶ ἀριθμῶν εἰδητικῶν“), ad quam Plato senex quum ipse doctrinae de ideis diffidere coepisset, refugisse videtur. Quae doctrina ex his Aristotelis libris nobis satis nota est, quamquam in Platonis dialogis ejus nondum vestigium ullum reperiri potest. Quod ei non mirum est, qui scit, quanto ardore et quanta fiducia in his Plato doctrinam suam de ideis amplecti soleat.

Sed redeundum ad Metaphysica Aristotelia. Sine dubio satis laxa et dissoluta sunt, id quod vel ex brevi hoc summario apparet. Micheletus vero in libro, cui inscriptum est: *Examen critique de l'ouvrage d'Aristote intitulé metaphysique* Paris 1836, nexus integritatem defendere conatur tanquam alter Procrustes omnia exaequando.

Quae quum ita sint, Brandisii conjectura jam supra a me allata, quam vir doctus in *Quaestionibus academiae Berolinensis class. histor. a. 1834 p. 63 sqq.* proposuit, singulos libros Metaphysicos non unius corporis quasi membra sed solitarias continuae utique quaestionis partes alias alio tempore scriptas, postmodum in eam, quam nunc prae se ferant, formam conflatas esse multum probabilitatis habet. Ceterum Diogenes Laertius in catalogo librorum Aristoteliorum (cf. *Arist. vita V, 22*) tres

libros de philosophia affert et Cicero de natura deorum I, 13 §. 33 eadem, quae Aristoteles in libro *A* de deo tradit, tanquam ex tertio libro de philosophia desumpta affert. Unde apparet, Ciceronis exemplum primae philosophiae planè a nostro diversum fuisse. Atqui Krischius in libro, cui inscriptum est: „Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie“ I, p. 271 demonstravit, Ciceronem omnino nullum primae philosophiae exemplum ante oculos habuisse neque ex ipsis libris philosophorum, quos laudaret, doctrinam suam sed ex libro Phaedri Epicuraei de diis nuper in monumentis Herculensibus reperto hausisse. Qui liber a Phaedro eo consilio compositus, ut iis, qui veterum philosophorum de diis doctrinam cognoscere vellent nec ipsos fontes adire possent, epitomes instar esset, sine dubio prius scriptus est, quam libri Aristotelis opera Andronici in lucem prodissent. Proinde mirari non debemus, quod ejus ratio citandi ad ordinem librorum Metaphysicorum, qualis nunc est, non plane quadrat. Ea enim quae de deo nunc in libro *A* leguntur, Phaedrus certe in libro tertio legit. Idcirco Krischii conjectura, libros Metaphysicos *A K A* esse priorem editionem primae philosophiae, quae etiam in catalogo Diogenis sub tribus libris de philosophia delitescat, admodum probabilis fit, praesertim quum libri, quos nominavi, ita inter se cohaereant, ut speciem prae se ferant opusculi ad tempus absoluti, cui postmodum reliqui libri Metaphysici adjuncti sint. Quae quum ita sint, Aristotelis doctrinam de deo ex libris Metaphysicis, ordine, quo nunc leguntur, posthabito eliciam, prout singuli loci rei tractandae apti videbuntur. Secundo loco in quaestionem vocandae erunt Auscultationes physicae. Praeterea adeundus

erit liber de generatione et corruptione, *Ethica Nicomachea* et si quid de deo quasi praeteriens alias Aristoteles exposuerit. Circumferuntur quidem praeter *Ethicam Nicomacheam* alii etiam libri *Ethici* sub Aristotelis nomine. Sed neque quidquam gravius proferunt, quod non in *Ethica Nicomachea* legatur neque omnino Aristotelis sunt, id quod contra Schleiermacherum (cf. *Schl. Opera* III, p. 306 sq. Spengelius (cf. *Abh. d. Münchn. Ac.* 1841. p. 439—551) egregie demonstravit.

Hi libri sufficiunt, ex quibus Aristotelis de deo doctrina componatur. Neque ad nostram quaestionem multum interest, quod tam multi libri Aristotelis deperditi sunt, quoniam illi maximam partem ad naturae et civitatum antiquarum cognitionem pertinuisse videntur. Nam etiamsi Theologumena scripsit, id quod Macrobius (cf. *Sat. I, 18*) tradit, idem Macrobius de fabulis et muneribus deorum librum fuisse auctor est.

Restat libellus de mundo in doctrinam de deo perquam copiosus. Sed doctrina, quae hoc libro traditur, adeo ab Aristotelis de deo doctrina abhorret, ut in libro de mundo deus semper motus dicatur, quem Aristoteles immotum esse dixit. Quid multa? Libellus de mundo pro foetu Stoici alicujus habendus est. Sed in hoc acquiescendum. Nam quod auctorem etiam nomen dare coegerunt, veluti Villoisonius (cf. praef. ad *Ann. Cornut.* p. XLIV) qui de Posidonio, et Osannus (cf. *Beiträge* p. 143 sq.) qui de Chrysippo cogitat, temerariae conjecturae sunt. Sed hoc sibi persuadebit, quicumque hunc libellum legerit, Stoam eum redolere non Pythagorae scholam, id quod Ritterus (cf. *Gesch. d. Phil.* III. pag. 527) credit.

II.

Aristotelis de deo doctrina.

Eam doctrinam, quam Socrates contra Sophistas omnis veritatis (eversores defenderat, Plato et Aristoteles secuti sunt. Quae Socrates docuit, ad duo haec dogmata fere redeunt, solam notionis scientiam veram esse scientiam nec veram virtutem esse nisi vera notione concepta. Sed in quaerenda vera notione, quam ex quibuslibet hominibus arte inductionis, quam ipse obstetriciam appellabat, elicere studebat, omnis ejus vis absumitur nec pervenit ad systematicam amplitudinem omnibus numeris absolutam et elaboratam. Plato ab hac Socratis doctrina exorsus, quum et ipse sibi persuasum haberet, unam notionis scientiam veram esse, notionem solam essentiam eamque separatam esse voluit idque ideam esse dixit. Ita vero revertitur ad dissidium, quod Anaxagoras sobrius ille inter allucinantes Aristoteli patri historiae philosophiae visus (cf. Met. A p. 13, 1), quum materiae mentem adjunxisset, iis, qui mentem et naturam sibi opponere haud consueverant, primus revelaverat. Ideae, quibus Plato omnem veritatem omnemque essentiam vindicat, ita ut separatae sint (*ἀντὰ καὶ ἀντὰ* Parm. 128 E. Phaedo 100 B.) oppositum sibi habent hunc mundum, qui licet omni veritate et essentia careat, tamen ideae tanquam arx inexpugnabilis obstat. Hujus potissimum dissidii Aristoteles quum conciliator esse vellet, non tamen a Platonis idealismo plane sese abdicavit. Notioni et ipse omnem veritatem omnemque essentiam vindicavit, non tamen eam sicut Plato separatam sed ipsi huic mundo inhaerentem esse voluit cf. Met. A p. 30, 20: „δόξειεν ἂν ἀδύνατον εἶναι χωρὶς τὴν οὐσίαν καὶ οὐ

η οὐσία.“ Id est, quod identidem separatas statuere ideas
 vetat (χωριστὰ ποιεῖν τὰ εἶδη). Proinde Aristotelis de
 Platonis ideis iudicium licet interdum admixtam habeat
 austeram quandam acerbitatem, veluti cum ideas *τερετίσ-*
ματα appellat (cf. Anal. post. I, 22 p. 83 a 33) et Pla-
 tonis totam doctrinam vaniloquentiam (*κενολογεῖν*) dicit,
 tamen rem acu tetigit neque Patritiorum more (cf. Pa-
 tritii Discussiones Peripateticae) ex animi malitia aut si-
 multate sed ex mero veritatis studio et persuasionis fir-
 mitate repetendum est. Aristoteles expressis verbis ne-
 gotium refutandae doctrinae Platonicae molestum sibi esse
 dicit, quod amici doctrina sit, sed philosophum veritati
 omnia posthabere debere (cf. Nic. eth. I, 6: „ἄμφω γὰρ
 ὄντων φίλον ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν“). Unde
 natum illud: Amicus Socrates, amicus Plato sed magis
 amica veritas. Verum cavendum est, ne omnia quae
 apud Aristotelem de Platonis ideis leguntur, pro veris
 Platonis placitis habeamus. Nam Aristoteles interdum
 Platonem veteratoria quadam arte secum pugnare cogit,
 ut ex ipsius principiis *τραγέλαφον* monstrum eliciat. Ve-
 luti absurdum esse dicit, ideas loqui sed rebus quae cerni
 possint, consimiles nisi quod syllaba „*αὐτο*“ praefigatur
 (*ἵππος, αὐτοῦἵππος*), perinde ac si deos loquamur sed
 hominum consimiles (*ἄνθρωποσειδεῖς*). Neque enim illos
 aliud nisi aeternos homines facere neque hos aliud nisi
 aeternas res sensibiles (*αἰσθητὰ αἰτίδια* Met. B p. 46, 24).
 Alias Aristoteles Platonem vituperat, quod quum singulos
 numeros computare nesciat, in duplici numero periclitetur.
 Adeo non necessariam esse talem rerum duplicationem (cf.
 Met. A p. 28, 26). Quae omnia Plato vix sua agnosceret.
 Aristoteles contra ideam et hunc mundum ad unitatem

conciliare studet atque vinculo quodam contineri vult, id quod hoc modo sibi assecutus esse videtur. Quum essentia (οὐσία) non sit praeter id cuius essentia est, notio non separata a rebus esse potest sed in eo ipso, cuius notio est, esse ibique tanquam forma in materia apparere debet. Platoni materia id est, quod omnino non est (μὴ ὄν) Aristoteli vero id, quod nondum quidquam definitum est (μὴ ὄν κατα συμβεβηκός). Atque in hac re cernitur discrimen philosophiae Aristoteliae et Platonicae et origo principiorum Aristoteliorum, quorum per totam ejus philosophiam ad deum usque continua series et gradatio est. Plerumque sane Aristoteles non duo principia sed quattuor proponit. Sunt enim haec:

- I. ὕλη, αἴτιον ἐξ οὗ, materia, causa materialis apud Scholasticos.
- II. μορφή, εἶδος, το τί ἦν εἶναι, λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι, λόγος τῆς οὐσίας, οὐσία, forma sive causa formalis apud Scholasticos.
- III. αἴτιον ὑφ' οὗ, ὄθεν ἢ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, ἀρχὴ τῆς κινήσεως, causa efficiens apud Scholasticos.
- IV. οὗ ἕνεκα, τέλος, causa finalis apud Scholasticos.

Locos affert Zellerus in libro, cui inscriptum est: Die Philosophie der Griechen II. p. 409 sq.

Sed quattuor haec principia in duobus principiis materiae et formae insunt, si quidem forma tam finis materiae quam causa movendi est, id quod ex sequentibus apparebit.

Primum igitur de forma et materia dicendum est. Materia et forma ita inter se differunt, ut materia potentia sive virtute (δυνάμει), forma actu (ἐνεργεία) existat. Saepe etiam fit, ut materia ipsa potentia (δύναμις), forma

actus (ἐνέργεια sive ἐντελέχεια) dicatur. Δύναμις, quam diximus, non activam sed passivam significationem habet. Est vero alia quoque vocabuli „δύναμις“ significatio, quae ἐνεργεία sive actui non opponitur, sed vis quaedam mutationis in alia re effectrix est. Aristoteles in libro *A* utramque notionem perspicue distinguit cf. Met. *A* p. 104, 10: „ἢ μὲν οὖν ὅλως ἀρχὴ μεταβολῆς ἢ κινήσεως λέγεται δύναμις ἐν ἐτέρῳ ἢ ἕτερον· ἢ δ' ὕφ' ἐτέρου ἢ ἕτερον“ quae verba ex consuetudine Aristotelis, qua compluribus enuntiatis se excipientibus, quae ex antecedentibus quocumque modo suppleri possunt, omittere solet ¹⁾, ita explicari debent, ut ἢ δ' ὕφ' ἐτέρου ἢ ἕτερον ea δύναμις sit, cui aliunde venerit causa movendi (τοῦ κινεῖσθαι) ideoque patiatur non operetur. Posterior igitur δύναμις sine dubio ea est, quae actui (ἐνεργεία) opponitur eoque ad motum sollicitatur, prior vero δύναμις ea, quae operatur movendique causa est. Ita fit, ut Aristoteles causam moventem i. e. formam ipsam potentem (δυναμένην) dicat cf. Met. *A* p. 246, 11. „εἰ μήτις δυναμένη ἐνέσται

¹⁾ Hujus consuetudinis exempla conguessit Waitz in *Org.* 1a 6. Addas si tanti est: De interpr. p. 17b 16: „ἀνικεῖσθαι — λέγω ἀντιφατικῶς τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου“ quae verba a Trendelenburgio (cf. *El. log. Arist.* p. 52) sic circumscribuntur: „τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῇ τὸ αὐτὸ σημαίνουσα ὅτι οὐ καθόλου.“ De anima I, 4 p. 408b 22: „ὥστε τὸ γῆρας οὐ τῷ τὴν ψυχὴν ἢ πεπονθέναι ἀλλ' ἐν ᾧ i. e. ut senectus non cognoscatur eo, quod anima patitur sed quod id patitur, in quo anima inest cf. Met. *Z* p. 130, 26: νῦν μὲν οὖν τύπω εἶρηται, τί ποτ' ἐστὶν ἡ οὐσία, ὅτι τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένον ἀλλὰ καθ' οὗ τὰ ἄλλα“ ubi cogitatione ex antecedentibus suppleri debet: „(τὸ μὴ ὑποκειμένον) λεγόμενον (ἀλλὰ καθ' οὗ τὰ ἄλλα) λέγεται“

ἀρχὴ μεταβάλλειν.“ Neque dubium est, quin De gen. et corr. II, 9: „τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ το κινεῖσθαι, τὸ δὲ ποιεῖν καὶ κινεῖν ἐτέρας δυνάμεως“ altera potentia sive ipsa forma intelligi debeat.

Jam transeundum ad alteram notionem, quae ab Aristotele ἐνέργεια sive ἐντελέχεια vocatur. Ἐνεργείας etymon neminem fallere potest et ab ipso Aristotele agnoscitur cf. Met. Θ p. 175, 12 et p. 187, 4: „διο καὶ τοῦτοια ἐνέργεια λέγεται κατὰ τὸ ἔργον.“ De origine vocabuli „ἐντελέχεια“ ab Aristotele novati admodum fluctuant virorum doctorum sententiae. Trendelenburgius in commentario suo ad Aristotelis librum „Περὶ ψυχῆς,“ qui etiam priorum sententias affert (cf. p. 296 sq.) vocabulum ἐντελέχεια ab adjectivo „ἐντελεχής“ derivat. At adjectivum „ἐντελεχής“ nullum est, id quod ex Henrici Stephani Thesauro videri potest. Apud Aristotelem quidem etiam nunc uno loco legitur. Locus est: De gen. et corr. II, 10 p. 236b 31: „συνεπλήρωσε το ὄλον ὃ θεὸς ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν· οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα συνείροτο τὸ εἶναι διὰ τὸ ἐγγύτατα εἶναι τῆς οὐσίας τὸ γίνεσθαι.“ Codices plurimi exhibent „ἐντελεχῆ.“ Verum hoc loco sine dubio agitur de generatione continua (cf. infra p. 35), quae notio nullo modo ex adjectivo „ἐντελεχής“ extricari potest. Proinde non dubium est, quin lectio codicum FH „ἐνδελεχῆ,“ quam etiam Asclepius (cf. Prooem. in Met. p. 518b 23) affirmat, lectioni etiam a Bekkero receptae praeferenda sit, praesertim quum Aristoteles in capite, quod supra attuli, adjectivis „ἐνδελεχῶς“ et „συνεχῶς,“ identidem promiscue utatur. Verum etiamsi adjectivum „ἐντελεχής“ reperiretur, nihil tamen aliud significaret, nisi id, quod perfectum est, ita ut synonymum

esset adjectivi „ἐντελής.“ Parum igitur inde proficeremus ad notionem vocabuli „ἐντελέχεια“ illustrandam. Sine dubio vocabulum „τέλος“ in vocabulo „ἐντελέχεια“ latet, id quod etiam ad significationem hujus vocabuli aptum est, si quidem id quod ad actum pervenit, etiam ad finem pervenisse dicendum est.

Quaeritur, num discrimen intersit inter vocabula „ἐνέργεια“ et „ἐντελέχεια.“ Trendelenburgius in commentario, quem laudavi p. 297 ἐνέργειαν intelligit transitum rei ex potentia ad actum, quem nostrates dicant „Verwirklichung,“ ἐντελέχειαν statum ex illo transitu ortum, quem nostrates dicant „Wirklichkeit,“ quamquam ipse p. 298 discrimen illud non religiose servatum esse concedit. Contrarium discrimen Zellerus l. I. II, p. 426 statuere conatur. Quamquam enim utrumque vocabulum saepe ab Aristotele promiscue usurpari concedit, tamen ἐντελέχειαν potissimum intelligit formam finis effectricem, quum pura mens plerumque ἐνέργεια dicatur. Sed causa formalis, finalis, efficiens aequae inest in ἐντελέχεια atque in ἐνέργεια. Argutius etiam Starkius, qui in libello, cui inscriptum est: „Aristotelis de intelligentia sive de mente sententia“ p. 13 ad res, quae moveantur et materiam habeant, definiendas Aristotelem utroque vocabulo promiscue, ad notionem divinam, cui nihil materiae inhaereat, constituendam solo vocabulo „ἐνέργεια“ uti contendit. At Met. A, 8 p. 254, 2 deus ipse aperte ἐντελέχεια dicitur. Proinde horum vocabulorum discrimen extricare supervaneum videtur.

Rationem potentiae et actus Aristoteles per totam naturam valere vult, si quidem eam alternis vicibus ita ad singulas res applicat, ut eadem res tam potentia quam actus haberi possit, prout ad inferiorem vel ad superio-

rem gradum eam referas. Veluti aes et potentia et actus dici potest. Nam aeris potentia terra est et aes terrae actus est, idem si inde statua fit, potentia est, statua vero actus (cf. Ritteri hist. phil. III, p. 143 sq.). Talis philosophandi ratio potest sane levis et pusilla videri, quod sic omnis contemplandi vis ac veritas in nostra cogitatione non in rebus ipsis posita sit. Quid enim impedit, quominus ex aere quamvis aliam rem faciamus, quae deinceps et ipsa aeris ἐνέργεια erit? Verum Aristoteles aeris rationem tantum exempli causa ad rem luculentius demonstrandam attulit. Ubi vero ad ipsam naturam explanandam accedit, necessarias actus et potentiae consecutiones bene deprehendere scit, ut certam quamque rem pro certae rei potentia habere debeas veluti corpus pro potentia animae et animam pro actu corporis cf. De an. II, 1 p. 412b 4. Atque haec ipsa laus maxime Aristoteli debetur, quod finem per totam naturam ita investigare scit, ut natura tota ei sit series formarum finis nexu cohaerentium et physica ejus continua teleologia cf. Met. N p. 298, 30: „ὄνκ εἶοικε δ' ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὐσα ἐκ τῶν φαινομένων ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία“ Ad hanc usque philosophiae sublimitatem nemo ante eum progressus erat. Anaxagorae hujus rationis suspicio venerat, si quidem omissis priorum materialibus principiis mentem omnia gubernare (πάντα διακοσμεῖν) voluerat. Sed supra hanc suspicionem non processerat, id quod veteres jam notaverunt. Socrates ipse narrat (cf. Phaed. 97c sq.) magnopere se gavisum esse, quum de Anaxagora audivisset, qui mentem usquequaque valere omniaque regere dixisset. Sed cum accuratius ejus philosophiam cognovisset, mirum sibi visum, virum istum

neutiquam eo, quo opus esset, modo mente uti sed potius aërem, aquam, alias res materiales ad explicandas naturae rationes adhibere. Aeque jure quempiam ad quaestionem, cur Socrates in carcere sedeat, respondere posse, quod corpus ipsius ex ossibus et nervis constet et genu flexerit ac non potius, quod ratio poscat, legibus obtemperare. Eodem redit, quod Aristoteles Anaxagorae vitio vertit cf. Met. A p. 14, 10: „*Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῆ χρηταὶ τῷ νοῦ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν καὶ ὅταν ἀπορήσῃ διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε παρέλκει αὐτὸν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γιγνομένων ἢ νοῦν.*“ Aristoteles contra finem sive rationis vim per totam naturam valere demonstrat, quum inde ab elementis per plantarum et animalium genera usque ad hominem, in quo natura quid praestare possit experta esse videatur, seriem entelechiarum persequitur, quarum quaeque sublimioris entelechiae potentia sit. *τοῦ μὲν ἄρα νοῦ ἰσχυρὸν ἐστὶν ἡσυχάζειν ἅπαντα καὶ ἀκίνητον ἕξειν, ὡς ἂν ἄνευ αἰτίας ἡσυχάζειν ἔμελλεν· ἀλλὰ τὸ ἐκ τῶν αἰτίων ἐκείνων ἐκινεῖται καὶ ἀκίνητον ἕξειν οὐ δύναται.* Quodsi alterna haec ratio potentiae et entelechiae usquequaque valere putanda est, nonne sic progredientes et regredientes ad Graecas Calendas mittimur? Neutiquam. Excipienda est extrema materia, quae mera potentia neque ullius rei entelechia est et extrema forma quae mera entelechia neque ullius rei potentia est. Aliter enim neque quidquam esse neque cognosci posset. Proinde Aristoteli progressus sive regressus in infinitum perinde est atque ad absurdum cf. Met. α p. 37—39. Eodem etiam alia via pervenire possumus. Etenim Aristoteles quum ad Platonis dualismum vitandum nihil antiquius haberet, quam ut ideas ex solitudine in res ipsas traduceret, necessarium aliquid habuit, in quo idea tanquam forma appareret, fundamentum omni plane forma destitutum. Tale fundamen-

tum Aristoteli est τὸ πρῶτον ὑποκείμενον sive τὸ δυνάμει ὄν id quod forma caret cf. Met. Z p. 131, 11: λέγω δ' ὕλην ἢ καθ' αὐτήν μήτε τὸ μήτε ποσὸν μήτε ἄλλο μηθὲν λέγεται οἷς ὠρίζεται το ὄν“ cf. Phys. I, 9 p. 192 a 31: „λέγω γὰρ ὕλην τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἐκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεται τι —, εἴτε φθείρεται, εἰς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον.“ Verba quae cum anacoluthia leguntur, describunt eam materiam, ex qua omnia fiunt, et in quam quum intereunt, postremum redeunt. Idem est quod Aristoteles (cf. Ausc. phys. I, 8 p. 191 a 34) dicit μὴ ὄν κατὰ συμβεβηκός. Duplex est et plane diversa notio verbi „συμβαινεῖν“ cf. Trend. l. l. p. 188 sq. Significat tam „accidere“ quam „convenire“ sive „pro praedicato esse“, ita ut συμβεβηκός modo fortuiti modo praedicati notionem habeat. Materia igitur Aristotelis est μὴ ὄν κατὰ συμβεβηκός sive id quod omni praedicato careat. Hoc fundamentum eodem jure primum atque extremum dici potest. Interest enim, utrum cogitando deorsum descendas an sursum ascendas. Fundamentum igitur illud descendentem erit extremum, quod a fundamento ascendentem erit primum. Extremum dicitur illud fundamentum Met. A p. 241, 21: „οὐ γίνεται οὔτε ἢ ὕλη οὔτε τὸ εἶδος· λέγω δὲ τὰ ἔσχατα,“ quod supra dictum erat τὸ πρῶτον ὑποκείμενον. Vocabula haec nunquam non habent hanc relativam vim, unde oritur alia quoque extremae materiae notio quamvis a primaria haud aliena. Met. H p. 174, 24 extrema forma et materia eadem esse dicitur, altera potentia sive virtute, altera actu. Verba Aristotelis sunt: „ἔστι δ' ὅσπερ εἴρηται καὶ ἡ ἐσχάτη ὕλη καὶ ἡ μορφή ταῦτο καὶ δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ“ ubi Prellerus (cf. Hist. philos. p. 257) extremam materiam eam intelligit, quae ad aliquam formam

condita sit velut mollem aut perfectiorem formam nacta sit. Sed quid talis sapientia ad nostrum locum? Melius jam scholiastes hunc locum interpretatur: „[ἡ ὕλη ἡ ἐσχάτη] αὕτη δ' ἐστὶν ἡ προςεχής.“ Extrema igitur materia est vicina materia, quae nulla intercapedine formam praecedat. Unitas talis materiae et vicinae formae in eo cernitur, quod id quod materia virtute, forma vicina actu est.

Prima sive extrema materia plane indefinita et omni forma destituta est (τὸ ἀόριστον, τὸ ἀειδές, τὸ πανδεχές cf. Met. Γ, 4 p. 73, 2 Phys. III, 6 p. 207 a 21). Eadem ideo nullo vocabulo attributivo designari potest cf. Met. Θ p. 184, 15: εἰ δέ τι ἐστὶ πρῶτον, ὃ μηκέτι κατ' ἄλλου λέγεται ἐκείνινον, τοῦτο πρῶτη ὕλη.“ Verba sicuti nunc quidem leguntur, id quod volebam non demonstrant, siquidem secundum Aristotelis consuetudinem κατ' ἄλλου λέγεσθαι idem significat atque κατ' ἄλλου κατηγορεῖσθαι i. e. pro praedicato esse. At cum tali notione nullo modo conciliari potest „ἐκείνινον.“ Idcirco lectio codicis A^b „κατ' ἄλλο“ recipienda est sola nostro loco apta. Etenim λέγεσθαι κατὰ τι sive διὰ τι significat „secundum aliquid definiri“ sive „nominari“ et addito vocabulo „ἐκείνινον“ „adsciscere aliquod praedicatum“ (cf. Met. Α p. 93, 20. Ζ p. 143, 4. Θ p. 187, 4 et Κ p. 234, 26 quem locum jam supra p. 9 attuli). Proinde ab Aristotele prima materia ea dicitur, quae nullo jam attributo accuratius definiri potest. Quae quum plane indefinita sit, neque sensibus percipi nec cognosci nec nisi analogia quadam definiri potest cf. Ausc. phys. I, 7 p. 191 a 7: „ἡ δ' ὑποκειμένη φύσις (materia prima) ἐπιστητὴ κατ' ἀναλογίαν· ὡς γὰρ πρὸς ἀνδριάντα χαλκὸς ἢ πρὸς κλί-

νην ξύλον ἢ πρὸς τῶν ἄλλων τι τῶν ἐχόντων μορφήν ἢ ὕλη καὶ τὸ ἄμορφον ἔχει, οὕτως αὐτὴ πρὸς οὐσίαν ἔχει.“

Transitus potentiae ad actum motione fit, quam Aristoteles *κίνησιν* dicit et a potentia aequae atque ab actu distinguit cf. *Met. K* p. 231, 12: „οὐτ' εἰς δύναμιν — οὐτ' εἰς ἐνέργειαν ἔστι τιθέσθαι αὐτήν.“ Est enim potentia quidem superior sed inferior actu. Ideo ab Aristotele imperfectus actus dicitur cf. *Ausc. phys. III*, 2 p. 201, 627 et *De an. II*, 5. p. 417 a 16: „καὶ γὰρ ἔστιν ἡ κίνησις ἐνέργειά τις ἀτελής μέντοι.“ Motio quum entelechia efficiatur et a materia exordiat, ut ad eventum veniat, tam materia quam actu opus est. Itaque materiam et formam communi quodam vinculo contineri apparet, si quidem in ipsa potentiae notione inest, ut ad actum perveniat, et in actus notione, ut potentiae actus sit et potentiam quasi origine referat. Quod in materiae notione inesse diximus, ut ad actum perveniat, Aristotelis est sententia, quum ut feminam ad marem ita materiam ad formam desiderio ferri (*ἐφίεσθαι*) dicit (cf. *Ausc. phys. I*, 9. p. 192 a 16) non quo materiam talis desiderii sibi consciam habeat sed quod linguae consuetudine, cui hujus rationis notio ignota erat, destitutus ad notam imaginem refugere quam vocabulum novare maluit.

Sed ad motionem efficiendam non magis est materia sive potentia opus quam forma sive actu. Quodsi certam quandam motionem contemplantur, potentia actum praecedere dicenda est, si quidem motio a potentia exorditur, veluti quum avis ex potentia avis sive ovo oritur. Ovum quamquam hac ave prius est, alius avis ovum est, quae sine dubio prior fuit. Actus etiam propterea potentia prior

est, quod actus est motionis meta et meta motionis motione prior cogitari debet. Ideo Aristoteles actum natura quidem potentia priorem esse haud dubie affirmat, de tempore non prae fracte statuit cf. Met. Θ p. 185, 11: „πάσης δὴ τοιαύτης (δυνάμεως) προτέρα ἐστὶν ἢ ἐνέργεια καὶ λόγῳ καὶ τῇ οὐσίᾳ (i. e. natura), χρόνῳ δ' ἐστὶ μὲν ὧς, ἐστὶ δ' ὧς οὐ — τῷ δὲ χρόνῳ πρότερον τὸ τῷ εἶδει τὸ αὐτὸ ἐνεργοῦν πρότερον, ἀριθμῷ μὲν οὐ“ i. e. tempore prius est aliquid actu existens, quod ejusdem generis est nec vero hoc actu existens prius est eo, ex quo ortum est. Hanc esse sententiam Aristotelis docent verba quae sequuntur: λέγω δὲ τοῦτο, ὅτι τοῦδε μὲν τοῦ ἀνθρώπου τοῦ ἤδη ὄντος καὶ ἐνέργειαν πρότερον τῷ χρόνῳ τὸ σπέρμα ἀλλὰ τούτων πρότερα τῷ χρόνῳ ἔτερα ὄντα ἐνεργεῖα, ἐξ ὧν ταῦτα ἐγένετο· ἀεὶ γὰρ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος γίγνεται τὸ ἐνεργεῖα ὃν ὑπὸ ἐνεργεῖα ὄντος, οἷον ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου.“

Sed ex hac motione et potentiarum et entelechiarum vicissitudine semper excipienda est extrema forma et extrema materia, quarum utraque quum sit ἀγέννητος, neutra altera prior dici poterit (cf. Met. A p. 241, 21). Extrema vero forma aequè statuenda est atque extrema materia, si quidem aliter motio fieri non potest. Id enim quod actu quidem existit, sed in se etiam potentiam habet, vera motionis causa esse nequit. Certe motionem sempiternam non potest efficere id, quod modo operatur modo cessat cf. Met. A p. 246, 13: „εἰ γὰρ μὴ ἐνεργήσει, οὐκ ἐστὶ κίνησις· εἴτι οὐδ' εἰ ἐνεργήσει, ἢ δ' οὐσία αὐτῆς δύναμις· οὐ γὰρ ἐστὶ κίνησις ἀίδιος· ἐνδέχεται γὰρ τὸ δυνάμει ὃν μὴ εἶναι.“ Quodsi motionem perennem esse videmus, necesse est, aliquid existere, quod nunquam non moveat

ideoque omnis materiae immunis actu tantum sit i. e. mera entelechia sive purus actus, quem Scholastici dicunt cf. Met. A p. 246, 17: „δεῖ ἄρα εἶναι ἀρχὴν τοιαύτην, ἧς ἡ οὐσία ἐνέργεια.“ Purus actus necessario existit cf. Met. A p. 248, 22: „ἐπεὶ δ' ἐστὶ τι ἐνεργεῖα ὄν, τοῦτο οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν οὐδαμῶς — ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶν ὄν.“ Sed qualis est haec necessitas? Bene Aristoteles distinguit. Non est ea necessitas, quae libertati contraria sit nec quae alius rei causa existat, quasi mera entelechia ideo necessario existere credatur, quod sicuti sine victu homo vivere non possit, ita motio non sine mera entelechia fieri credatur. Secundum hanc necessitatis notionem purus actus secundas ageret, motio primas. Mera entelechia vero necessario ideo existere dicenda est, quod motio cogitari non potest, nisi purus actus est, ita ut purus actus non existat, quod in mundo motio fieri debet, sed motio fieri debeat, quod purus actus existit. Aperte hoc docent Aristotelis verba Met. A p. 248, 27: „τό γὰρ ἀναγκαῖον τοσαυταχῶς· τὸ μὲν βίαι· ὅτι παρὰ τὴν ὁρμήν, τὸ δὲ οὐ οὐκ ἄνευ τὸ εὔ, το μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἀλλ' ἀπλῶς· ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις“ quae in brevius contracta lucem accipiunt a loco parallelo Met. A, p. 93, 4 sq. Eodem redeunt ea, quae Ausc. phys. VIII, 5 exponit. Motionem cogitari posse negat nisi movens aliquid statuatur. Illud movens vero necessario immotum esse. Nam etiamsi se ipsum movens statuas, tamen in eo id quod moveat distinguendum esse ab eo, quod moveatur, ita ut etiam hac via perveniamus, ad immotum aliquid. Aliter perveniri ad progressum, qui in infinitum ita nos ducat, ut nunquam id assequamur, quod revera motionem efficiat. Est igitur aliquid *πρωτόν*

κινῶν ἀκίνητον, quod nullo modo differt a puro actu. Namque quum purus actus et ipse motionis causa sit, eodem munere fungitur ac πρῶτον κινῶν ἀκίνητον et quum omni potentia careat, et ipse immotus est.

Atque summum hoc principium est deus Aristotelis. In eo tanquam in foco colliguntur tres causae, quas Aristoteles materiae opponere solet, causa formalis, efficiens, finalis. De formali et efficienti quidem causa dictum est. Nunc causa finalis num et ipsa in deo insit, videndum est. Sine dubio. Nam id quod movet nec ipsum movetur, eodem modo movere necesse est atque id quod amatur sive desideratur cf. Arist. Met. A, p. 248, 4 sq.: „τὸ ὄρεκτὸν καὶ τὸ νοητὸν κινεῖ οὐ κινούμενα — ἐπιθυμητὸν γὰρ τὸ φαινόμενον καλόν — ὀρεγόμεθα δὲ διότι δοκεῖ ἀγαθόν ἢ δοκεῖ διότι ὀρεγόμεθα.“ Verba extrema intelligi non possunt nisi cogitatione μᾶλλον post ἀγαθόν suppleas. Hanc elipsin etiam invito Bernhardyō (cf. Synt. Gr. p. 437) agnoscere debemus praesertim apud Aristotelem (cf. quae supra p. 16 de Aristotelis loquendi consuetudine attuli). Nam si particulam „ἢ“ interpretamur „aut,“ verba absurda sunt. An scribendum est cum Schweglero: „ὀρεγόμεθα δὲ διότι δοκεῖ μᾶλλον ἢ δοκεῖ κ. τ. λ.“ Sententia erit eadem eaque sola ad locum nostrum apta: Potius (μᾶλλον) dixeris nos appetere, quod aliquid bonum videatur quam aliquid bonum videri, quod appetimus. Deus igitur est τὸ τέλος, τὸ οὐ ἕνεκα, finis, ad quem omnia tendunt. Atque in hoc ipso teleologiae Aristoteliae vis cernitur, quod totus mundus ad deum versus convergit et quaecunque fiunt, ad finem tendunt cf. Met Θ, p. 186, 17: „καὶ ὅτι ἅπαν ἐπὶ ἀρχὴν βαδίζει τὸ γινόμενον καὶ τέλος· ἀρχὴ γὰρ τὸ οὐ ἕνεκα.“

Haec mundi motio, quam Aristoteles deum efficere vult, aeterna, continua, una est. Nam si orta esset motio, et id quod movet et quod movetur ortum esset atque ita ante motionum jam motio fuisset (cf. Ausc. phys. VIII, 1). Porro id quod immotum movet, semper eodem modo movere putandum est ideoque motio erit continua. Eadem quum una causa moventi efficiatur, una erit cf. Ausc. phys. VIII, 6, p. 259, a. 15: *Δέδεικται γὰρ ὅτι ἀνάγκη αἰεὶ κίνησιν εἶναι· εἰ δὲ αἰεὶ, ἀνάγκη καὶ συνεχῆ εἶναι· καὶ γὰρ τὸ αἰεὶ ὄν συνεχές· τὸ δ' ἐφεξῆς οὐ συνεχές· ἀλλὰ μὲν εἴ γε συνεχές, μία· μία δ' εἰ ὕφ' ἐνός τε κινουῦντος καὶ ἐνός τοῦ κινουμένου.* Atqui nonnisi eorum, quae in orbem feruntur, motio continua est. Haec enim una a se orditur et ad se redit; ea vero motio, quae recta linea fit, a se orditur et ad aliud transit cf. Ausc. phys. VIII, 8: „*ἡ μὲν γὰρ κύκλω κίνησις ἐστίν ἢ ἀφ' αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτό· ἡ δὲ καὶ ἐνθεῖαν, ἀφ' αὐτοῦ εἰς ἄλλο*“ cf. Met. A p. 246, 6. Sequitur igitur, ut motio, quae a deo efficiatur, in orbem fiat. Atqui eae partes, ubi hujus motionis gubernaculum est (ἀρχαί), sunt circumferentia et centrum. Ab alterutra igitur parte deus sive primus motor mundum globosum movere dicendus est. Jam vero Aristoteli ea, quae a causa movente proxime absunt, celerrime moveri consentaneum videtur. Celerrime autem movetur circumferentia. Hic igitur locus primo motori assignandus est. Docent Aristotelis verba Ausc. phys. VIII, 10, p. 267 b 6: „*ἀνάγκη δὴ ἢ ἐν μέσῳ ἢ ἐν κύκλω (circumferentia) εἶναι· αὐται γὰρ αἱ ἀρχαί· ἀλλὰ τάχιστα κινεῖται τὰ ἐγγύτατα τοῦ κινουῦντος· τοιαύτη δ' ἢ τοῦ κύκλου κίνησις· ἐκεῖ ἄρα τὸ κινεῖν.*“ Lectio „*κύκλου*“ sine dubio recipienda est pro lectione „*ὄλου*“

quam Bekkerus recepit et Prellerus l. l. p. 270 retinuit. Nam si ad quaestionem, utrum in centro an in circumferentia primus motor collocandus sit, Aristotelem respondentem facis, deum ἐν ὄλῳ i. e. in mundo esse, vereor ne sententia inconcinna exprimatur.

Haec fere sunt, quae Aristoteles de dei moderamine et motione mundi exposuit. Redeunt eo, ut deus mundi replicationem effecisse putandus sit, unde num revera naturae ubertas et varietas repeti queat, suo loco anquiretur.

Restat ut numinis divini naturam auctore Aristotele accuratius describam. Ac primum quidem dicam, quid a dei natura alienum putet Aristoteles. Pertinet huc locus Aristotelis Met. A p. 249, 29: „ὄτι μὲν οὖν ἐστὶν οὐσία τις ἀίδιος καὶ ἀκίνητος καὶ κεχωρισμένη τῶν αἰσθητῶν, φανερόν ἐκ τῶν εἰρημένων· δέδεικται δὲ καὶ ὅτι μέγεθος οὐδὲν ἔχειν ἐνδέχεται ταύτην τὴν οὐσίαν ἀλλὰ ἀμερῆς καὶ ἀδιαίρετός ἐστι.“

Aristoteles igitur deum vult esse immotum et expertem materiae eorumque, quae corporum sunt. Idem eum creandi (τοῦ ποιεῖν) et agendi (τοῦ πράττειν) immunem esse vult. Merito, quamquam addubitat Vaterus, qui in libello suo, cui inscriptum est: Vindiciae theologiae Aristoteliae p. 41. Annot. sic argumentatur: „Deorum (Dei?) cur neque τὸ πράττειν sit neque τὸ ποιεῖν? quum νοῦς κινεῖν dicatur, quae ut opinor ποίησις quaedam est. Plura inveniemus, quae aliquantulum inter se pugnent“ Proinde vir doctus sequitur morem eorum criticorum et interpretum, qui ubicunque inveniunt, quod cum suaviolis suis aut praesumptis opinionibus pugnet, statim urendum ac secandum putant. Quid multa? Ejicit verba sibi molesta. Petulanter opinor. Nam si sibi constans esse vo-

lebat philosophus, deo debebat qualemcunque actionem et creationem abjudicare. Nam quum deus purus actus materiae expers sit, neque *ποιεῖν* neque *πράττειν*, quae ad materiam pertinent, dicendus est. Actio et creatio finem suum extra se positum habent. Perfectum vero numen divinum extra se nullum finem habere debet; est enim sibi ipsi finis τὸ οὐ ἔνεκα cf. De coelo II, 12: τῶ δὲ ὡς ἄριστα ἔχοντι οὐδεὶ δεῖ πράξεως· ἔστι γὰρ αὐτῶ τὸ οὐ ἔνεκα. Huc pertinent etiam quae contra eos disputat, qui deum hominis similem reddant cf. Nic. Eth. X, 8, p. 1178 b 8: „Τοὺς θεοὺς γὰρ μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι. Πράξεις δὲ ποίας ἀπονεύμαί χρεῶν αὐτοῖς; πότερα τὰς δικαίας; ἢ γελοῖοι φανοῦνται συναλλάττοντες καὶ παρακαταθήκας ἀποδίδόντες καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα; ἄλλα τὰς ἀνδρείους; ὑπομένοντας τὰ φοβερὰ καὶ κινδυνεύοντας ὅτι καλόν; ἢ τὰς ἐλευθερίους; τίμη δὲ δώσουσιν; ἄτοπον δὲ εἰ καὶ ἔσται αὐτοῖς νόμισμα ἢ τι τοιοῦτον — διεξιούσι δὲ πάντα φαίνοντ' ἂν τὰ περὶ τὰς πράξεις μικρὰ καὶ ἀνάξια θεῶν.“ Quod philosophus in his identidem plures deos appellat, negligentiae cuidam ad vulgarem loquendi consuetudinem descendenti imputandum est. Fit hoc in libris Ethicis non in iis, qui de arcanis primae philosophiae sunt. Tantum vero abest, ut polytheismo patrocinetur Aristoteles, ut aequae ac Plato (cf. Rep. 377 A) mythos, quibus dii hominum similes (ἀνθρωποειδεῖς) perhibeantur ideoque ad hominum mortalium humilitatem detrudantur, ineptos esse contendat cf. Met. A p. 8, 24, B p. 46, 21, A p. 254, 9. Nihilominus Biesius in libro suo: „Die Philosophie des Aristoteles“ I p. 353. Aristotelis deum

mundi creatorem appellat. Si jure, haberemus christianam philosophiam ante religionem christianam. Ergo oblitus erat vir doctus Aristotelis verba: „οὐ γίγνεται οὔτε ἡ ὕλη οὔτε τὸ εἶδος· λέγω δὲ τὰ ἔσχατα“ Aristoteles deum nusquam revera agentem aut creatorem facit. Quodsi interdum nihilominus de deo talibus terminis utitur, negligentia quaedam loquendi agnoscenda debet, veluti quum Pol. VIII, 3 p. 1325 a 52 deo *πρᾶξις* tribuitur, nulla alia nisi contemplatio, de qua statim dicitur, intelligi potest, si quidem perspicue infra „b 29“ haec *πρᾶξις* nullum praeter se finem habere dicitur.

Quodsi deus est purus actus et ipse sibi finis, sequitur, ut deus sibi ipse sufficiat ideoque beatus sit. In hac *αὐταρκεία* constat ejus felicitas cf. Arist. Pol. VIII, 3: „ἔστω συνωμολογημένον ἡμῖν, μάρτυρι τῷ θεῷ χρωμένους, ὃς εὐδαιμόνων μὲν ἐστὶ καὶ μακάριος, δι' οὐδὲν δὲ τῶν ἔξωτερικῶν ἀγαθῶν ἀλλὰ δι' αὐτὸν αὐτὸς καὶ τῷ ποῖος τις εἶναι τὴν φύσιν“ cf. Pol. I, 2 p. 1254 b 24. Propter eandem causam deus immutabilis et affectuum immunis est, ita ut neque laetitia neque dolore neque invidia neque amore affici putandus sit cf. Met. A p. 255, 4: „δῆλον τοίνυν, ὅτι τὸ θεϊότατον καὶ τιμιώτατον — οὐ μεταβάλλει.“ Deum amare Aristoteles prae-fracte negat (cf. Nic. Eth. VIII, 9 p. 1158b 34) quamquam de hominum erga deum amore saepe loquitur veluti Nic. Eth. VIII, 14 p. 1162a 5. Deum invidia carere docent verba Aristotelis Met. A p. 8, 23: „ἀλλ' οὔτε τὸ θεῖον φθονερὸν ἐνδέχεται εἶναι.“ Neque laetatur deus. Etiamsi Aristoteles loquatur de dei ἡδονῇ vel διαγωγῇ, nullo modo gaudium esse potest, quod deo aliunde contingat.

Impediunt hoc vel verba, quae supra ex Pol. VIII, 3 attuli. Quae vero haec dei sit ἡδονή et διαγωγή, statim apparebit.

Si deus nec agit nec creat et tamen vivit, in quanam re ejus vita cerni potest? Nam mera ἐνέργεια nullo modo otiari potest. Nihil aliud quam contemplatur cf. Nic. Eth. X, 8: „διεξιούσι δὲ πάντα φαίνοιντο ἂν τὰ περὶ τὰς πράξεις μικρὰ καὶ ἀνάξια θεῶν. Ἀλλὰ μὲν ζῆν τε πάντες ὑπειλήφασιν αὐτοὺς καὶ ἐνεργεῖν ἄρα. οὐ γὰρ καθύδδεν ὥσπερ τὸν Ἐνδυμίωνα. Τῷ δὲ ζῶντι τοῦ πράττειν ἀφρορημένω, ἔτι δὲ μᾶλλον τοῦ ποιεῖν τί λείπεται πλὴν θεωρίας; ὥστε ἢ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια διαφέρει σα μακαριότητι (i. e. excellens felicitate) θεωρητικῇ ἂν εἴη.“ Quam divinam contemplationem et felicitatem ut mente comprehendere possimus, in memoriam nobis revocat Aristoteles beatitudinem, qua philosophantes nos interdum fruamur. Hanc beatitudinem adauctam et accumulatam dei esse felicitatem cf. Met. A p. 249, 1: „Διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἷα ἡ ἀρίστη, μικρὸν χρόνον ἡμῖν· οὕτω γὰρ αἰεὶ ἐκείνῳ ἐστίν. ἡμῖν μὲν γὰρ ἀδύνατον“ — 13: „εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτε, ὁ θεὸς αἰεὶ θανμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον. ἔχει δὲ ὡδε.“

Neque unquam haec dei contemplatio cessat. Nam quum deus purus actus sit, nulla in eo potentia inesse potest. Ineset vero, si contemplatio ad tempus quiescere posset. Omnis dei vita in contemplatione constat sine ullo laboris et quietis discrimine cf. Met. A p. 255, 7: „εἰ μὴ νόησις ἐστίν ἀλλὰ δύναμις, εὐλογον ἐπίπονον εἶναι τὸ συνεχὲς αὐτῷ τῆς νοήσεως“ — p. 249, 15: „καὶ

ζωη δέ γε ὑπάρχει. ἢ γὰρ νοῦ ἐνέργεια ζωή, ἐκείνος δὲ ἢ ἐνέργεια.“ Jam quaeritur, quidnam deus contempletur. Interest utrum bonum aliquid an quilibet contempletur. Contemplatio enim dignitatem accipit ab eo, quod cogitatur. Contemplari sive cogitare etiam is dicitur, qui vilissimam quamque rem contempletur (cf. Met. A p. 255, 10). Deus vero non nisi summum et optimum contemplari potest; aliter non esset summa contemplatio. Optimum vero divinum numen ipsum est. Se ipsum igitur deus contemplari censendus est cf. Met. A p. 255, 13: „αὐτὸν ἄρα νοεῖ, εἶπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον, καὶ ἔστιν ἢ νόησις νοήσεως νόησις.“ Hoc modo id quod cogitat et quod cogitatur idem est. Contemplatio autem ita fit, ut contemplatio se ipsam tangat sive se a se distinguat et se ipsam sibi repraesentet cf. Met. A p. 249, 7: „αὐτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ· νοητὸς γὰρ γίννεται καὶ θιγγάνων καὶ νοῶν· ὥστε ταῦτὸν νοῦς καὶ νοητόν.“ Haec sententia, quae ab Aristotele systemati tanquam corona imponitur, in M. M. II, 15 tanquam absurda rejicitur: „αὐτὸς ἑαυτὸν ἄρα θεάσεται (ὁ θεός); ἀλλ' ἄτοπον. καὶ γὰρ ὁ ἀνθρώπος ὃς ἂν αὐτὸς ἑαυτὸν κατασκοπῆται, ὡς ἀναισθήτω ἐπιτιμῶμεν. Ἄτοπος οὖν ὁ θεὸς ἔσται αὐτὸς ἑαυτὸν θεώμενος· τί μὲν οἶν ὁ θεὸς θεάσεται, ἀφείσθω.“ Sed his ipsis verbis iudicio Spengelii, quod supra attuli, major etiam commendatio accedit.

Quod si ea, quae hucusque explicata sunt, comprehendimus, Aristotelis deus est primus motor immotus, purus actus, causa formalis, efficiens, nihil agens, nihil creans sed cogitans isque se ipsum cogitans.

III.

Aristotelis theologia examinatur.

Negari non potest, Aristotelem primum periculum fecisse, theologiam sive doctrinam de deo ad scientiam et rationem revocandi, si quidem dei notio ab eo e principis systematis eruitur, non ex vulgi opinione adoptatur. Sed in hoc ipso est, quod reprehendas. Ac primum quidem fundamentum haud bene stabilitum est. Neque enim principia potentiae et actus Aristoteles demonstrare conatur sed precario sibi sumit, quae si non concedis, ne pedem quidem proferre potest. Neque dualismum, in quem Platonis scilicet monismus verterat, sustulit, quoniam alterum dualismum materiae et formae substituit. Sustulisset si principia materiae et formae ita adunasset, ut forma ipsa materiae creatrix esset. Sed hoc ab ratione antiquae philosophiae alienum est et ad Christianum dogma creationis mundi ex nihilo pertinet. Porro si deus purus actus est, necesse est eum tam materiae quam spatii expertem et immutabilem esse. Sed cum hac doctrina conciliari nequeunt, quae Aristoteles de deo mundi motore docet. Ubiunque alias motio fit, fieri non potest, quin id quod moveat (*κινητικόν*) id quod moveatur (*κινητόν*) tangat eoque tangatur (cf. De gen. et corr. I, 6 p. 323 a 25). Sed hanc rationem Aristoteles, ne deum materiae participem reddat, a deo mundi motore alienam esse vult, quum dicit, id quod immotum moveat tangere id quod moveatur sed eo non tangi cf. De gen. et corr. I, 6 p. 323 a 31: „ὥστε εἴ τι κινεῖ ἀκίνητον ὄν, ἐκείνο μὲν ἂν ἄπτοιο τοῦ κινητοῦ, ἐκείνου δὲ οὐδέν“ Mirifice.

Tactio non nisi invicem fieri potest, quod Aristoteles concedere non vult, ne deum materiae participem reddere coactus sit. Nam ea, quae invicem se tangunt, ejusdem generis esse (*ὁμογενῆ*) necesse est. Idcirco nihil offensionis habet, quod supra numen divinum se tangere dictum est (*„νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν*), si quidem id quod cogitat et id quod cogitatur ejusdem generis atque adeo idem est. Accedit quod primus motor ab Aristotele in spatium delegatur, id quod cum notione merae entelechia conciliari nequit. Namque supra dictum est, primum motorem movere inde a circumferentia mundi. Hoc probrum Aristotelis definitione spatii non diluitur. Aristoteles enim spatium intelligit finem corporis circumcludentis circumclusum versus (*το πέρασ τοῦ περιέχοντος σώματος*). Secundum hanc spatii definitionem, quum mundus nullo corpore circumcludatur sed *το ὄλον* sit, deus, qui inde a circumferentia mundi movet, sane non in spatio versatur. Sed fatendum est, hac ratione Aristotelem altera manu retrahere, quod altera manu largiatur.

Vehementius etiam impugnari possunt, quae Aristoteles de motione a deo effecta tradit. Primus motor id quod supra vidimus, nihil aliud quam mundum in orbem fert. Sed haec una motio non sufficit. Ideo Aristotelis in *Ausc. phys.* coelum, quod terrae opponit, in duas partes divisum vult, quarum altera (*πρῶτος οὐρανός*) stellas fixas, altera sphaeras planetarum ferat. Praeter enim quam quod totus mundus a deo in orbem fertur, planetarum sphaerae propriam sibi habent motionem eamque sempiternam. Proinde ut ad totius mundi motionem sempiternam ex idonea causa repetendam aliquid movens idque

immotum Aristoteles agnoverat, ita nunc etiam singulis sphaeris dat singulas substantias sempiternas, quae et illas moveant et ipsae immotae sint cf. Met. A p. 250, 24: „ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπὸ τινος κινεῖσθαι καὶ τὸ πρῶτον κινεῖν ἀκίνητον εἶναι καθ' αὐτὸ καὶ τὴν αἰδίον κίνησιν ὑπὸ αἰδίου κινεῖσθαι καὶ τὴν μίαν ὑφ' ἑνός, ὁρῶμεν δὲ παρα τὴν τοῦ παντός τὴν ἀπλήν φοράν, ἣν κινεῖν φασὲν τὴν πρώτην οὐσίαν καὶ ἀκίνητον, ἄλλας φορὰς οὐσας τὰς τῶν πλανήτων αἰδίους — ἀνάγκη καὶ τούτων ἐκάστην τῶν φορῶν ὑπ' ἀκινήτου τε κινεῖσθαι καὶ αἰδίου οὐσίας — φανερόν τοίνυν, ὅτι τοσαύτας οὐσίας ἀναγκαῖον εἶναι τὴν τε φύσιν αἰδίου καὶ ἀκινήτους καθ' αὐτὰς καὶ ἄνευ μεγέθους.“

Primum coelum, quod a primo motore proxime abest, perfectissimum est et optimam vitam vivit omni que generationis et corruptionis vicissitudine caret (cf. De coelo I, 9, p. 279 a. 13). Minore quidem divinitate fruuntur orbis planetarum, ea tamen cautione, ut etiam planetas pro ea, quae per totam fere antiquitatem increbuit, opinione divina natura instructos et sempiternos esse velit (cf. Ausc. phys. II, 4, p. 196, a. 33 et Cic. de nat. deor. II, 15). Divinitas quam maxime decrescit in regione terrae ut a primo motore remotissima, in qua ideo generationis et corruptionis vicissitudo valet cf. De gen. et corr. II, 10, p. 236, b. 31: „συνεπλήρωσε τὸ ὄλον ὁ θεὸς ἐνδελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν· οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα συνείροιο τὸ εἶναι δια τὸ ἐγγύτατα εἶναι τῆς οὐσίας το γίνεσθαι.“

Deus igitur regioni terrestri, cui propter nimiam a primo motore distantiam continuo esse non concessum est, ne lacuna existeret, continuam generationem impertivit.

Quae quum ita sint, neque immotae illae et aeternae substantiae ex primo motore pendeant, vereor ne Aristoteles principatum unius motoris, quem usquequaque tueri vult, (cf. Met. A p. 248, 29: „ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανός καὶ ἡ φύσις“ et versus Homeri, quem A p. 258, 22 laudat: „οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίῃ· εἰς κοίρανος“) non sartum tectumque servare possit. Neque motiones, quae terrae, igni, aquae, aëri elementis peculiare sunt, nec naturae varietatem ex sola illa replicatione a primo motore effecta derivare potest. Haec systematis Aristotelii infirmitas non omnes fefellit ejus in philosophia successores, quamquam plerique Peripatetici primi moventis immoti onus iners et ad naturae vim explicandam Aristoteli ipsi superfluum patienter tulerunt. Unus Strabo Lampsacenus, qui a Plutarcho (cf. Adv. Colotem c. 14 p. 241 ed. stereot.) merito τῶν ἄλλων Περιπατητικῶν κορυφαίωτατος appellatur, sensit, ubi Aristoteles claudicaret atque notione divina, ex qua non magis quam Aristoteles naturam derivare poterat, e medio sublata totam philosophiam Peripateticam in purum naturalismum mutavit ideoque physicus appellatus est cf. Cic. Acad. IV, 38: „Lampsacenus Strato negat opera Deorum se uti ad fabricandum mundum; quaecunque sint, docet omnia esse effecta natura“ et Cic. de natura deorum I, 13: Strato is, qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quae causas gignendi augendi minuendique habeat.“

Quod quum facit, haud ita multum ab Aristotelis doctrina, si quidem ne ipse quidem Aristoteles naturam a solo puro actu derivare potest, sed ad naturalia

quaedam pondera et motiones, id quod ex ejus Auscultationibus physicis satis luculenter apparet refugere coactus est, ita ut quod Aristoteles Anaxagorae vitio vertit, ipsi vitio verti possit: „μηχανῆ χρῆται τῷ νόῳ πρὸς την κοσμοποιίαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ δια τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ, τότε παρέλκει αὐτόν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γιγνομένων ἢ νοῦν.“

V I T A.

Ego O. H. Weichelt natus sum anno 1823. Dobrilucii, oppido in Lusatia sito, ubi etiam litterarum elementis imbutus et ad normam ecclesiae Evangelicae educatus sum. Qua institutione cum usque ad annum quartum decimum usus essem, in gymnasium Luccaviense profectus sum, quod civem me vidit, donec rude donatus in universitatem Halensem migrarem. Interfui ibi scholis Bernhardy Meieri, Leonis, Erdmanni, Schalleri, quibus viris, quidquid in litteris incrementi cepi, quod scio quam exiguum sit, me debere fateor. Postmodum me Berolinum contuli ibique examinis discrimen subii. Quo superato in scholam Cuestrinensem profectus sum rudimenta ibi depositurus. Sed post nonnullos jam menses contigit mihi, ut scholae Demminensis subrektor crearer, quo munere etiamnunc fungor atque gaudiis et miseriis vitae scholasticae fruor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Arist. Pol. V, 10. p. 1313. a. 3:

„οὐ γίνονται δ' ἔτι βασιλεῖαι νῦν, ἀλλ' ἄνπερ γίνωνται, μοναρχίαι καὶ τυραννίδες μᾶλλον.“

Scribendum:

„ἀλλ' ἄνπερ γίνωνται μοναρχίαι, τυραννίδες μᾶλλον.“

II. Quinct. VII, 1. §. 40: „Sed plerique eloquentiae famam affectantes contenti sunt locis speciosis modo vel nihil ad probationem conferentibus. Alii nihil vitare, ea, quae in oculos incurrunt, exquirendo putant.“

Scribendum: Alii nihil ultra ea, quae in oculos incurrunt, exquirendum putant.

III. Socrates jure condemnatus est.

IV. Sophistarum merita haud exigua sunt.

V. Latina lingua ad disputandum de rebus philosophicis parum apta est.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

- I. Arist. Pol. V, 10. p. 1313. a. 3.
 „ὅτι ἕρποντι δὲ ἐπὶ βουλεύσειν νῆς, ἀλλ' ἐπιταγὴν
 ἕρποντι, κωνορχία καὶ τογορπίδες κἀλλοῦν.“
 Scribendum:
 „ἀλλ' ἐπιταγὴν ἕρποντι κωνορχία, τογορπίδες
 κἀλλοῦν.“
- II. Quint. VII, I. §. 40: „Sed plerique epideulias la-
 tiam affectantes contenti sunt locis speciosis modo
 et nihil ad probationem conseruibus. Alii nihil vi-
 dere ea, quae in oculis inveniunt, expruendo putant.“
 Scribendum: Alii nihil ultra ea, quae in oculis in-
 veniunt, expruendum putant.
- III. Socrates iure condemnatus est.
 Sophistaram vitia haud exigua sunt.
- IV. Latina lingua ad disputandum de rebus philosophicis
 parum apta est.